

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Passio p  
cum fonte primo

Doles, Domine, non  
tua uulnera sed mea, non tuam mortem  
sed nostram infirmitatem.

Ambrosius super Lucam.

Doles ergo, domine, non  
tua, sed mea uulnera, non tuam mortem,  
sed nostram infirmitatem:

et nos aestimauimus te esse in doloribus,  
cum tu non pro te, sed pro me doleres;  
*infirmatus* enim es, sed *propter peccata  
nostra*, non quia tibi illa infirmitas erat  
ex patre adsumta, sed pro me suscepta,  
quia mihi proderat ut eruditio pacis  
nostrae esset in te et liuore tuo uulnera  
nostra sanares.

Ambrosius Mediolanensis, *Expositio  
euangelii secundum Lucam*, 10, 57  
(CCSL 14, M. Adriaen & P.A. Ballerini  
eds., p.362, ll.571-578).